



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

III. De purgatione à peccatis. Exeundus erga illa affectus, & vitia  
extirpanda. Nullum efficacius vitiorum remedium, quàm mortis, &  
aeternitatis consideratio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

verecundiâ impeditus vitia tua dissimulet. Quod si negaverit se aliquid in te deprehendere cœsurâ dignum, ne te protinus credas inculpabilem evasisse. Tacet enim, aut timens odium tuum, aut desperans emendationem. Tunc verò urge, & instâ vehementiùs, & factis ostende, quantum proficere cupias. Incipe vitia apud illum deponere, ad ejus præscriptum mores exigere. Gaude fieri ab eo convitium tuæ pravitati, semperque ab ipso vel sanior redeas, vel sanabilior. Inter tot mala aliquid est, velle sanari.

4. Hæc sunt docentis & discantis mutua officia: ut ille prodesse velit, hic proficere. Ne ille proficit, vix quidpiam impedit, nisi discipuli refractarium ingenium, doctrinæ impatiens, & curationis incapax. Quidam enim innixi prudentiæ suæ, alterius sequi ducatum detrectant. Hæc omnia, inquit, quæ tu doces, jam scio. Quid prodest aperta monstrare plurimum. Interdum enim scis, & non attendis. Non docet admonitio, sed excitat memoriam, nec patitur elabi. Sæpè animus etiã aperta dissimulat: ingerenda itaque illi rerum notissimarum notitia. Nam virtus erigitur cùm tacta est, & impulsâ. Alios retrahit malus pudor, vitium puerile, & viro indignum. Alii, quasi phrenetici, pertinaci silentio mala intus premunt, & Medico curationi intento indignantur. Suadet nimirum hanc noxiam taciturnitatem tartareus hostis, sperans perniciem asserere, quamdiu latet. Et corporis quidem ulcera, tametsi pudibunda, omnium oculis exponere, ut curentur, non erubescis; animæ verò carcinomata studiosè tegis, ac si ea celare tollere sit; cum vix tamen fieri possit, quin vel te repugnante ipsa se prodant. Qui vulnus tegit, nunquam sanabitur.

5. Nunquid Medicus injuriam tibi facit, si tuum tibi morbum demonstrat, si periclitanti dicit: Malè habes, febricitas: hodie tibi abstinendum à cibo est, hodie aqua potanda? Imò pro beneficio laudatur, gratiæ ei aguntur, & referuntur. Si quis autem dixerit; Appetitiones tuæ æstuant, opiniones vanæ sunt, affectus immoderati; protinus exclamas: O facinus ferro & sanguine vindicandum! ò contumeliam nullo modo ferendam! Infelix! Quid tibi damni aut mali infert tuæ salutis studiosus monitor & instructor? Id scilicet, quod speculum deformi. Te talem tibi ostendit, qualis es. Corrige ergò quod ille arguit; compone mores, ablue sordes. Facile potes, si volueris omnium te oculis irreprehensibilem exhibere.

## CAPUT III.

*De purgatione à peccatis. Exuendus erga illa affectus, & vitia extirpanda. Nullum efficacius vitiorum remedium, quam mortis, & æternitatis consideratio.*

1. **A**B ultimo fine deviat homo, cùm peccatum committit, quod est omnium malorum causa. Ab hoc semine nascitur quicquid cruciat: hoc veneno totus Orbis inficitur. Latet illud, dum fit, sed cùm patratum fuerit, tunc intelliges quàm malum sit. Fuere, qui mortuorum corpora vivis jungerent, ut fetore torquerentur. Similis est in peccantes animadversio: alligatum est eis supplicium; non inveniunt quò evadant. Nisi aliquid patiaris, ne malum facias; plurimum patieris, quia fecisti. Vix concipitur prava actio, & jam puerpera est suæ pœnæ. Inde nata mors est, hinc succensa gehenna. Ab omnibus itaque flagitiis expianda conscientia, dolore, confessione, & satisfactione. Nec graviora dumtaxat evitanda, sed minima quæque & leviora; quæ tametsi mortem non asserant, vires tamen sensum dissolvunt, & ad mortiferam labem disponunt. Quid autem interest ad naufragium, utrum navis uno fluctu operiatur: an guttatim subrepens aqua, & per incuriam spreta, ipsam impleat & submergat? Tanto majorem maculam ista inferunt moribus, quanto facilius poterant evitari. Quò hostis debilior est, eò gravior tibi ignominia erit, si ab illo vincaris.

2. Nunquam virtutes animo inferere poteris, & te in pristinum libertatis statum asserere, nisi exuas omnem affectum erga peccata, quantumvis minima; ne corpore in deserto, animo sis in Ægypto. Male tecum agitur, si post dimissam injuriam, post relictos turpes amores, adhuc malignis colloctionibus præstas auditum, adhuc terrenâ specie delectaris. Vicia autem & pravi habitus, qui deletâ culpâ in te remanent, tanquàm pessima peccati soboles, radicibus extirpari debent. Si solos ramos præcideris, servata radix emerget, & novi ex ea succrescent ramusculi iniquitatis. Dicis, te velle vitia excindere. Falsum est: non enim claudis vitis ostium, sed opponis. Dicis, te offendi turpitudine vitæ tuæ. Hoc credo: quis enim non offenditur? Homines mali vitia sua oderrunt simul & amant, atque etiam, dum

perpetrant, detestantur. Quid prodest verbis mala rejicere, factis amplecti? Nemo est tam profligata conscientia, cui aliquando vitia sua nauseam non faciant: sed cito cum illis in gratiam redeunt. Qui autem verè conversus ad Deum est, ponit securim ad radicem, & ipsas minutissimas vitiorum fibras eradicat. Tum memor fragilitatis suae omnes peccandi occasiones studiosissime vitat: & ad quodlibet malae rei objectum timore concussus resilit, & exhorrescit.

3. Quid frustra tergiversaris, & praecipienti Deo vitiorum exterminationem, opponis naturae infirmitatem? Nemo magis virium tuarum mensuram novit, quam qui ipsas largitus est. Quare ergo non statim obtemperas, cum non commodum quaeratur iubentis, sed tua utilitas? O caecam & sceleratam temeritatem! Servili nequitia in os Domini reclamare audes, & dicere, durum esse quod ille iubet, ac si mandata tibi imposuerit, quae ferre non possis: ut videatur praecipiendo non tam salutem tuam quaesivisse, quam paenam. Haec est nimirum, humana perversitas, & malè de Deo mereri, & laborem sibi fingere in praeepto. Sed si volueris vires tuas experiri, videbis multo plura te posse, quam putabas. Non quia difficilis est lucta, non audes; sed quia non audes, difficilis illa videtur. Multa prius tortori habita, usus vertit in risum. Incipe, nec te ipsum contemnas. Non deserit Deus milites suos. Tantum virium habebis, quantum volueris.

4. Omnia vitia facile vinctes, si omnem tibi diem supremum diluxisse credideris. Quid est quod te alligat terrae? Quia nunquam cogitas, cito ab ea exeundum esse. Transeunt quotidie praeter oculos tuos elata cadavera, quae mortalitatis oblitum respicere cogunt ad mortem. Tu autem in media strage morientium, nihil minus quam mortem cogitas: & cum nihil frequentius videas, nihil citius oblivisceris. Veniet tamen qui te relever dies, & ex contubernio olidi ventris educat. Discutietur ista caligo, & tunc in tenebris te vixisse cognosces, cum lucem aspexeris. Produc si potes, ex tot elapsis annis vel unicum diem, integrae virtutis testem, qui non fuerit aliqua labe pollutus. Desoruit rudior aetas inter talos & nuces, inter ineptias & libidines adolescentia, inter scelera & flagitia praeeptis juventus. Post omnes annos, qui à cunis ad canos defluerunt, nihil jam superest nisi dolor, & pravi fructus iniquitatis. Heu quales te apprehendent angustiae, cum praeterita pudori erunt, formidini fu-

tura! Quid tunc proderunt divitiae, tot partae sudoribus, tot curis quaesitae? Quid carnis deliciae, & probrosae voluptates; quid inania dignitatum nomina; quid purpura, quid coronae? O si daretur reverti ad crepundia, & telam de novo exordiri; quam meliori textu omnia concinnares! sed intempestiva, illo fatali momento, haec vota erunt. Si vis tempore uti, nunc incipe: & ea desere, quae tunc velles deseruisse. Minima res est, momentaneis renunciare, ut aeterna consequaris.

5. Quare, si lubet, ex morituro, de antea facta vita quid sentiat? vix unum reperies, qui non longè diversam proferat de opibus, dignitatibus, mundique vanitatibus sententiam, quam vivens habuerit. Tunc res omnes aequiori lance pensantur, suisque momentis aestimantur. Et illis quidem sera sapientia in exitu est: tibi verò plurimum proderit, si ex alieno errore tuum corrigere didiceris. Potes nunc tuto navigare: quid expectas tempestatem? Potes te, rebus integris, subducere calamitati: cur re reservas extremo periculo? Sera, dum mergeris, cautio est; sera prudentia, cum jam peristi. Tot maximi & sanctissimi viri, relictis omnibus impedimentis, cum sibi & mundo valedixissent, hoc unum in extremam usque aetatem egerunt, ut vivere & mori scirent: plures tamen, nondum se scire professi, è vita abierunt. Adeo difficile est, hanc artem ediscere. Tu autem in senectutem sana differs consilia; & indè vitam vis inchoare, quod pauci perduxerunt? Stultitia magna est, tunc vivere incipere, cum desinendum est.

6. Quò te projecis, incautus homo! sic credis, & sic vivis; umbrae transitus est tempus tuum; punctum, vita tua, & si quid minus puncto esse potest. Vix natus, desinis esse. Siste vel unum diem; horam dumtaxat ne fluat inhibe, brevem moram tempore pone. Frustra conaris: nam te secum citius abripiet, quam ut desinat velocissime fluere, in tuum rerumque omnium exitium. Et huic momento aternitatem postponis, quae finem non habet? o stultitiam, o caecitatem! Corpori perituro non cessas quae ad ipsum pertinent comparare, & non est finis acquisitionis tuae: animae verò quae nunquam moritur, nulla provides bona in futurum, ac si tua non foret? languet corpus; omne discrimen subire paratus es, ut sanetur: languet anima; & negligis, & non sentis? Quando dictum est tibi; naviga, ne moriaris, & distulisti? Sume amarissimum pharmacum; & recusasti? Levia Deus iubet, ut vivas in aeternum, & non vis obedire? Si tibi

tibi lis foret, omnis cogitatio tua, omnis sermocinatio circa illam occuparetur; nec subsidia parare cessares, ut pro te Judices sententiam ferrent: extremo autem judicio imminente, è quo pendet aeternitas, rides, nugaris, peccas, in aeternum periturus? Ah! desine tandem insanire, & à vitis emergens, sic forma quotidie animum, tamquam ad extremum ventum fit. Vera philosophia hæc est, quam maximè fieri potest, hanc animam è corpore educere, & separare.

7. Hoc sit negotium tuum, hoc otium; hic labor, hæc quies, subducere te tempori, & immergere aeternitati. Fixum semper & immobile stat, quod in jura transit aeternitatis. Avarus epulo aquæ stillam post tot sæcula adhuc petit; & perpetuo mugitu frustra rogabit. Aeternitas est duratio semper præsens, nunquam sine suspirio, & horrore nominanda: est rota quæ semper volvitur: est juge, interminatum, semperque inchoans principium. Seria ejus cogitatio mundi delictis miscet absinthia; lethali que mærorum attonitos homines, ac veluti sideratos, dejicit. Hæc animam rebellem domat, & curis inanibus indormiscentem excitat ad virtutem: hæc famem, & sitim condit: hæc omnem laborem facilem, jucundum omnem dolorem, omnem poenam suavam, & brevem esse persuadet. Impleantur numericis notis ingentia cæli spatia, quacunque in immensum protenduntur. Quis præter Deum poterit hanc propemodùm infinitam numerorum seriem exprimere? Hi tamen numeri innumerabiles nec initium quidem aeternitatis sunt. Tot anni, tot sæcula labantur, quot sunt in illis unitates; nondum aliquid de aeternitate decessit. Nondum pervenerunt ad desperatissimæ aeternitatis initium infelicissimi mortales, qui perpetuo inferni incendio cruciantur. Ad hanc considerationem si non horrescis, si vitam seridè non emendas, quovis saxo durior es.

#### C A P U T I V.

*De Gula. Ejus mala, & remedia. Quæ sint indicia devictæ gula.*

1. Primum tibi certamen adversus gulæ vitium ineundum est, quæ pabulum cæteris subministrat. Morti corporis & animæ nos gula iniciavit. Primi enim parentes nostri, pomi

interdicti esu omnes homines, antequam gignerent, peremerunt. Nunc eadem animarum hostes utuntur; ut enervato omni vigore nos proterant, & conculcent. Hinc stupor, languor, & tædium: hinc scurrilitas, loquacitas, dissolutio: hinc immunditia, rixæ, contentiones: hinc mentis hebetudo, destructio omnium virtutum. Hinc rei familiaris profusio: hinc egestas: hinc longa morborum series, & ipsa denique mors, graviore ciborum sarcinâ accelerata. Pauci sunt infirmi, quos gula ad aegritudinem non adegerit. Nam si noxiis humoribus, ex nimio cibo, & potu congestis, careat corpus, tentari quidem à morbo, sed non subigi posset.

*Plures occidit gula, quàm gladius.*

2. O vilissimam ventris servitutem, ô inexplebilè cupiditatem! Modicum tibi corpus natura præbuit; vincis tamen vastissimorum, & edacissimorum animalium aviditatem. Taurus paucorum jugerum pascuis impletur; una sylva plures nutrit elephantos: tibi angustus est Orbis; non sufficit ventri tuo, quicquid volat in aere, quicquid natat in undis, quicquid latet in sylvis. Aspice potentum culinas, & concursantes inter tot ignes coquos: vide fervorum, & ancillarum sudantem cohortem: vide stragem animalium, & natantia vino penuaria: observa, quanta sollicitudine argentum ordinant pueri; quantâ arte disponunt ferula, inferunt patinas, scindunt aves: quantâ celeritate discurrunt ad ministeria, Vix credes unam esse domum, cui tot Consulium, & Regnorum vina promuntur; cui mensæ tanto tumultu apparantur. Non præcipio ut subtrahas ventri alimenta. Contumax est; non potest vinci, quotidiano indiget cibo. Verùm latet hic dolus, & subtilissimus concupiscentiæ laqueus; quo sæpe anima irretitur, obtentu necessitatis, negotium obumbrans voluptatis. Vis scire, quàm parvo fames extinguitur? Te ipsum numera, metire corpus, stomachum consule. Scies, non esse necessarium, quod mensuram excedit. Naturæ pauca sufficiunt, luxuriæ nihil.

3. Fames non est ambitiosa; contenta desinere, quo desinat non quærît. Elapso momentaneo palati judicio, non suavibus sapit pretiosum, quàm vile. Si esuris, edendum est: si sitis, bibendum. Sed utrùm panis plebejus sit, an siliagineus: utrùm aqua ex proximo amne excepta, an multâ nive refrigerata, nihil pertinet ad naturam. Hoc unum illa jubet, sedari famem, sitim extingui. Pisces è supero, inferoque mari,

à flu-